



**EXIMI-//VM PLANEQVE DIVI-//NVM OPVS
INCOMPARABILIS// Theologi Dionysij, professione
Car//thusiani, in quo opere contine[n]tur// quinque
humanae uitae specu//la**

Dionysius <der Kartäuser>

Coloniae, 1540

De Officio Sacerdotvm Per collationem eorum ad angelos. Cap. I.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55481](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55481)

DE OFFICIO SA
CERDOTVM PER

collationem eorum ad an
gelos.

CAP. I.



NGELORVM esca nutriuisti po
pulum tuum. Sapien. 16. Circa qua
uerba notandum est, quod per manā
in sacra scriptura figuratur singulari
ter Eucharistiae sacramentum. Sicut

Exod. 16.
Num. 11.
Deuter. 8.

enim filij Israel per desertum transeuntes uersus terrā
eis a domino repromissam, tali refocillabantur ali
mento: ita nos per mundum ad caelum pergentes cor
poris & sanguinis Christi quotidiano uatico recrea
mur. Vocatur autem merito panis angelorum, tam
propter conficiētes eucharistiam, quam propter ue
scentes. Conficiunt autem istud sacramentum solum
modo sacerdotes, sicut patet in decretis, distinctione

2. Cor. 5.

trigesima quinta, ca. Ecce. Sacerdotes uero in scriptu
ra sacra angeli nominantur. Iuxta illud ad Corinthi
os: Mulier debet habere uelamē propter angelos. Glo
sa, propter reuerentiam sacerdotum, qui nunciū dei
sunt. Iuxta illud Mala. Labia sacerdotis custodiūt, sci
entiā & legē requirunt ex ore eius, quia angelus do
mini exercituum est. Ratio huius denominatiōis me
taphorice est, quia sacerdotem decet angelum in duo
cim conditionibus imitari, quae in istis uersibus conti
nentur. Pascit, & hortatur, ducit, uehit, excitar, ar
cet. Orat, congaudet, punit, laudat sine sumptu. Pri
ue

Malach. 3.

ma ergo operatio angeli circa nos secundum ordinē
istorū uersum est, pascit: Cuius exēplum habemus
tertij regum 19. ubi legimus, quod angelus detulit pa-
nem & aquam ad Heliam dormientem & famelicum
dicens: Surge & comede, grandis enim tibi restat uia.
Isto modo moraliter loquēdo proprium officium sa-
cerdotis est, pascere populum in uerbo & exemplo, &
temporali subsidio, si possit. Vnde Petro signanter di-
ctum est ter: pasc, pasc, pasc. Bis autem dictum est ei *Ioan. 21.*
pasc agnos meos, & semel pasc oues, ad innuendum
differentiam doctrinæ necessariæ iuuenibus & seni-
bus. Senibus namq; simplex admonitio sufficit, iuue-
nibus uero opus est tam uerbis quā uerberibus, ut de-
bite doceantur. Aliter tamen istud dicitur exposuisse
quidam nouicius, arguens quod iuuenes fratres de-
bent refici bis in die, & senibus conuenit ieiunare, &
ideo pie dixit Christus Petro bis, pasc agnos meos, &
semel pasc oues meas. Secunda operatio quam an-
gelum legimus circa nos exercere, est exhortari. Cu- *Matt. 20.*
ius exemplum habemus in Matthæo, ubi legimus,
quod angelus domini apparuit in somnis Ioseph di-
cens: Surge & accipe puerum & matrem eius & fuge
in Aegyptum, &c. Hanc operationem imitatur sacer-
dos sana consilia priuatim suggerendo. Tertio te-
netur sacerdos ducere per bonam & apertam conuer-
sationē, exemplo Raphaelis: Ego (inquit angelus) eū *Tob. 5.*
ducam et reducam ad te. Et sicut uictoria exercitus est
gloria boni ducis: ita sanctitas populi attribuitur pro
merito sacerdoti. Vnde Chrysostomus de dignitate *Lib. 8.*
sacerdotali: Bene agente populo unusquisq; pro me-
rito suo remunerabitur, sacerdos aut pro bonis omni-
um. Habebit enim pro proprijs bonis auream, pro ali-
enis aureolam. Hec Chrysostomus. Et ideo secundum
M in eua-

SPECVLVM

eundem Chrysoft, super Mattheum, sacerdos est in populo sicut radix in arbore, & sicut stomachus in corpore. Quemadmodum, inquit, cum uideris arborem pallentibus folijs marcidam, intelligis quia aliquam culpam habet circa radicem: ita cum uideris populum indisciplinatum & irreligiosum, sine dubio cognosce quod sacer-

Lib. natura.
Hist. 20. Ety-
ano. ca. 4.

dotium eius non est sanum. Hæc Chrysoftomus. Sed secundum Plinium & Isidorum: Salamandra est serpens quidam, cuius ueneno inter alia uenena maxima uis. Hoc est si trunco uel radici arboris irreperit, omnia poma eius intoxicat & omnes ramos. Reuera isto modo diabolus, qui modo salamandræ semper uiuit in igne, radices ecclesiæ i. sacerdotes sic intoxicat & inficit his diebus, quod omnes rami ecclesiæ ab eis

Rom. 11.

peccati uenenum assumunt. Vnde ad Romanos: Si radix sancta & rami. Et per oppositum si radix est infecta, et rami erunt nociui. Vtteri⁹ dicit Chrysoft. quod sacerdos est in grege, sicut stomachus in corpore. Quemadmodum, inquit, medicus quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & est componere festinat, quia si stomachus sanus sit, totum corpus ualidum est, si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est: ita si sacerdotium integrum fuerit, tota floret ecclesia: si autem corruptum fuerit, omnis fides marcida est & infirma. Sicut stomachus accipiens cibum concoquit ipsum in ipso & per totum corpus dispergit: sic sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per scripturas ex deo, & excoquentes eam in se, id est tractantes eam & meditantes apud se, uniuerso populo subministrant. Et infra: Sicut in corpore si aliquod membrum fuerit infirmatum, non omnino languet & stomachus, si autem stomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma: sic si aliquis peccauerit Christianorum, non omnino peccant & sacerdotes: si autem sacerdotes fuerint in peccatis to-

tus populus conuertitur ad peccandum. Et ideo dicit
 Isidorus. Sacerdotes dei pro eorum scilicet subdito- In l
 rü iniquitate, damnantur, si eos aut ignorantes non sum. bo.
 erudiant, aut peccantes non arguant, dicente domi-
 no ad prophetam: Speculatorē dedit te domui Israel.
 Si non fueris locutus ut custodiat se à uia sua mala, il-
 le in iniquitate sua morietur, sanguinē uero eius de ma-
 nu tua requiram. In Polycratice quoq; Nihil sic erit
 studiosum imperatoribus, sicut sacerdotum honestas,
 cum utiq; pro illis ipsi semper deo supplicent. Et iterū, Lib. 7
 Profecto indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus Ibid.
 inuitus. Quartus actus angelicus secundum prædictos
 uersus est uehere. i. trāsportare. Deferunt enim ange-
 li boni animas bene morientiu in cælum. Iuxta illud
 Luc. 15. Factum est autem ut moreretur mendicus, &
 portaretur ab angelis in sinū Abrahæ. Sic sacerdotes
 angelici de terrenis desiderijs ad amorem cælestiu trās-
 ferrūt pœnitentes, quando eis confitendo peccatis pri-
 sinis moriuntur. Iuxta illud. Peccatis mortui iusticię ui- 1 Pet. 2.
 namus. Quintus actus angelicus est excitare. Iuxta il- Act. 12.
 lud: Angelus dñi astitit & lumen refulsit in habitacu-
 lo carceris, p̄cussosq; latere Petri excitauit eum, dicens
 Surge uel ociter. Erit autē Petrus dormiēs inter duos
 milites uinctus catenis duabus. Petrus dormiens in car-
 cere est peccator irretit⁹ mala cōsuetudine. Iacet inter
 duos milites uinctus catenis duabus, & duo custodes
 añ ostium custodiunt carcerē, duo milites moraliter
 sunt mors & demō, mors insidiat corpi, demō insidia-
 tur aīæ. Duæ catene, amor deliciandi & pudor reuelan-
 di. Duo custodes, ne hō confessionis ostiū exeat, sunt
 præsumptio ueniæ & confidentia uitæ proluxa. Huic
 astare debet sacerdos angelus & eum corripulo exci-
 tare percutere non palpare. Sextus actus angelicus

Tob. 5.

est arcere dæmonum potestatem, sicut fecit Raphael de Asmodeo, qui suffocauerat septem uiros Saræ. Cõ

Acto. 16.

similiter sacerdos arcere debet omnes malos per censuras ecclesiasticas, dæmones etiam per adiurationes sacras, ne noceant bonis uiris. Septimus actus angeli est orare. Vnde legimus in actis Apostolorum, quod Paulo per uisionẽ apparuit angelus in specie uiri Macedonis, dicens. Transiens Macedoniam adiuua nos. Qui dicitur fuisse Macedonibus præpositus, qui eorũ à Paulo supplicauit salutem. Sic sacerdos pro salute populi orare tenetur. Octauo. Angelus congaudet pœnitentibus de peccatis. Iuxta illud Lucæ decimoquinto. Gaudium est angelis dei super uno peccatore pœnitentiam agente, & sic pœnitentia populi gaudium debet esse boni sacerdotis. Nono angelus pun-

Esdra 3.

nit. Iuxta illud tertij Regum uigesimoquarto. Venit angelus domini & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque milia. Sic sacerdotum est sententias excommunicationis contra contumaces & rebelles fulminare. Decimo officium angelorum est deum laudare. Iuxta illud Esaia sexto: Ciamabant alter ad alterum & dicebant: sanctus, sanctus, sanctus, dominus deus exercituum. Hoc etiam sacerdotibus dinoscitur conuenire. Iuxta illud Esdræ: Steterunt sacerdotes in ordine suo, ut laudarent dominum. Vn decimo & ultimo angelus est sine sumptu, sicut patet in angelo, ut scribitur Tobia capite quinto, qui magnæ fuit utilitatis & parui sumptus. Consimiliter sacerdotes relicta cupiditate temporalium, de decimis & oblationibus tantum uiuant. Similiter cum spiritualia ministraliter largiunt, nihil pro eis recipiant pro mercede, ne simoniæ uicio maculent. Vbi notadũ, quod angeli habent quatuor cõditiones in quibus sacerdotes

eos cōuenit imitari. Sunt enim immateriales, siue sub-
 stantiæ separatae, intellectuales, pleni scientia & ueri-
 tate. Sunt motores orbium & rectores hominum.
 Primo ergo angeli sunt immateriales, spirit⁹ em̄ sunt
 & carnem et ossa non habent. Et tales debent esse sacer-
 dotes per cōtinentiam & castitatem, ut motus passio-
 num carnalium non sequantur. In cuius figura dictū
 est Petro: Caro & sanguis non reuelauit tibi. Marbo-
 dæus libro suo de lapidibus capite iij. dicit de allec-
 tio quatuor. Primo, quia lapis ille non generatur nisi
 in gallis castratis. Secundo, extinguit sitim. Ter-
 tio, quod reddit hominem honorabilem. Quarto, quod
 reddit hominē disertum. Moraliter loquendo iste
 lapis designat continentiam clericalem, quæ non in-
 uenitur nisi in his qui se refrenant à carnis desiderijs,
 propter meritum uitæ æternæ. Iuxta illud Matthæi:
 Sunt Eunuchi qui seipso castrauerunt propter regnū
 cœlorū. Hęc uirtus extinguit sitim fomitis carnis infe-
 stæ, & illicita desideria carnalis concupiscentiæ. In cu-
 ius figura scribitur Sapientiæ 10. Data est illis aqua
 de petra altissima, & requies sitis de lapide duro. La-
 pis durus ost continentia, durū est enim contra stimu-
 los carnis calcitrare. Hęc uirtus facit hominem uene-
 rabilem, sicut per oppositum incontinentia facit ho-
 minem confusibilem. Vnde scribitur: Vna mulier He-
 bræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.
 Hęc uirtus, scilicet continētia reddit hominem diser-
 tum: id est, eloquentem, et acceptum in loquendo tam
 in oratione q̄ in predicatione. Et per oppositum sacer-
 dotes infames de incontinentia nec digni sunt orare
 & predicare. Sunt igitur primo sacerdotes immateri-
 ales & substantiæ separate, sicut angeli. In cuius figura
 dicitur de Nathā: Et surrexit Nathā propheta, & qua

Matth. 16.
 Marbodæus

Matth. 26.

Judith 24.

Eccle. 47.

M v siade-

S P E C V L V M

si adeps separatus est à carne. Et de talibus probis ange-
 lis dicitur in Psal. Facit angelos suos spiritus. Secundo
 angeli sunt intellectuales pleni scientia & ueritate, &
 sacerdotes dei pollere debent scientia sacrae scripture.
 Et ideo conuenienter est sancitum extra de magistris,
 & ne aliquid exigant pro licentia docendi, & quod
 magister in theologia semper in metropoli habeatur,
 qui doceat sacerdotes. Omnes autem tam cathedrales
 ecclesie, quam alie in quibus suppetunt facultates,
 doctorem habeant in grammatica, qui clericos eccle-
 sie gratis instruat & etiam alios iuxta posse. Hæc est
 sententia illius capituli, & eadem quasi capitulo. Qm̄
 in ecclesia, Consuetudo gallicana habet, quod ma-
 gistri debent institui per singulas ecclesias cathedrales
 & eis beneficia assignari, qui pauperes gratis doceant
Aggæ. 2 & informant. Et ideo signanter dicit apud Aggæ. In-
 terroga sacerdotes legem. Super quod dicit Hierony-
 mus. Considera sacerdotem esse de lege interrogatos
 respondere. si sacerdos est sciat legem domini. Si ignorat
lach. 2 legem domini, ipse se arguet non esse sacerdotem domi-
 ni. Vnde Malach. Labia sacerdotis custodiunt scientiam
 & legem requirent de ore eius, quia angelus domini ex-
 ercituum est. Tertio sunt motores orbium, à quibus
 causatur & generatur, quicquid inter generabilia &
 corruptibilia procedit ad esse, Sic officium sacerdotum
 esse deberet mouere nobiles & potentes quorum uir-
ioha. 5 tute reguntur subditi ad cultum dei. Figuram huius ha-
 bemus apud Ioannem de angelo qui descendebat secun-
 dum tempus in piscinam & mouebatur aqua, & qui pri-
 mus descendisset in piscinam post motionem aquæ, sa-
 nus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. Morali-
 ter piscina multæ aquæ est persona magnæ potentie.
 In hanc descendit sacerdos uel curatus, quando eius
 conscien-

conscientiam examinat de delictis, mouet aquam, quã
do limitat suam potentiam ad regulas diuini iuris.

Quarto angeli sunt receptores hominum & custodes
secundum sanctos. Et eodem modo sacerdotes & cura
ti, qui pro subditorum animabus habent coram deo
respondete. Iuxta illud Psal. Angelis suis mandauit de
te, ut custodiãt te in omnibus uis tuis. Sed prohdolor

his diebus uerificatur nimis dictum beati Iob: Ecce
qui seruiunt ei, id est, deo non sunt stabiles, & in ange

lis suis reperit prauitatem. Sunt enim quidam de mo

dernis sacerdotibus angeli satanã per discordiam, an
geli apostatici per superbiam, angeli incubi per luxu

riam, angeli abyssi per auariciam. Primi sunt angeli
satanã per discordiam: Satan enim interpretatur ad

uersarius, & tales de omni briga aduersitate & discor
dia se intromittunt, conspirant pãlia, ingrediuntur
pugnã, & exercent latrocinia, ut nec uix sit inuenire

comitiuam prãdonum, quin habeant consortium sa
cerdotum. Isti sunt similes sacerdotibus Baal, de qui

bus dicitur quod incidebant se cultris & lanceolis us
q; ad protractionem sanguinis. Dãmones enim mul

tum gaudent de effusione sanguinis humani. Quili
bet talis figuratur per angelũ, de quo dicitur in Pro

uerbũs. Semper malus gurgia quãrit, angelus au
tem malus mittetur cõtra eum. Secũdo aliqui sacerdotes

sunt angeli apostatici, iuxta illud: Initiũ superbi ho
minis apostatare a deo. Hi sunt similes sacerdotibus

Dagon, de quibus primi regum. 5. cap. dicitur, quod
non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingredi

untur templum Dagon super limen templi. Limen
super quod calcatur, perfectionem designat humilita
tis, super quod stabiliter stant uiri sancti. Istud
limen non calcant sacerdotes ambitio si & superbi
qui

Iob. 3.

3. Reg. 8

Prouer. 16

Eccle. 10

SPECCVLVM

Capite ultimo.

qui ad praelationes maiores & altiores aspirant, continue adulantur regibus & principibus, & eos intant ac finaliter decipiunt. Sic deceptus fuit Antiochus ex Syriae in templo Naneae, consilio deceptus sacerdotum Naneae, sicut dicitur primo Machabaeorum.

Tertio, sacerdotes moderni sunt incubi per luxuriam. Incubi, uel incubones secundum Isidorum octauo etymologiarum in fine a Romanis dicuntur fauni, & sunt, ut creditur, daemones corpora humana sibi iungentes, & sic mulieribus se immiscentes. Et sicut daemones incubi dicuntur nonnunquam generare gigantes: ita sacerdotes propter uehementiam uoluptatis gignunt communiter pingues, grossos, & corpulentos. Hi possunt dici sacerdotes Priapi & Beelphegor. Fuit enim idolum Moab super montem Fogor, unde & a loco dictus est Beelphegor. Interpretatur autem idolum ignominiae, & representabat Priapum, quem Latini dicebant deum hortorum. Fuit enim iuuenis quidam de Lapsato ciuitate Helesponti, quem propter magnitudinem membri uiriliter expulsum de Lapsato, in numerum dierum Graeci lubrici transtulerunt, secundum Isidorum 8. Etymologiarum cap. 11. Hunc uisum simum deum excolunt non pauci religiosi & sacerdotes moderni, discipuli illius maligni angeli, de quo loquitur Apostolus. Datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Sathanae, qui me colaphizet. Quarto, sacerdotes moderni sunt angeli abyssi per auariciam. Ceres namque abyssum, id est, infernum dicitur continere. Unde sacerdotes Cereris dediti lucris, uidelicet mercatoribus, angeli abyssi dici possunt imitatores illius angeli, de quo Apocalypsis: Locustae habebant super se regem angelum abyssi. Tales fuerunt sacerdotes Belis, quorum uestigia, non nisi per cineres sunt coperta, et ideo iuste

2. Cor. 12.

inſte trucidati: Sic iſtorum facta poſt mortem corpo-
 ris erunt nota, & ipſi pro demeritis puniti pœna per-
 petua ab illo qui angelis peccantibus nō pepercit, ſed
 rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in 2. Petri 2.
 iudicium cruciandos reſeruari. Non ſic boni ſacerdo-
 tes, quibus dicitur per Eſaiam: Vos ſancti domini uo-
 cabimini miniſtri dei noſtri: quia Matth. 4. Ecce ange-
 li acceſſerunt & miniſtrabant ei.

Daniel. 14.

2. Petri 2.
 Eſaiæ 61.

*Quod ſacerdotes debent eſſe
 ſine macula.*

CAP. II.

Leuitici 21. capite ſcribitur ſic: Sacerdos qui ha-
 buerit maculam, non offeret panes deo ſuo, nec
 accedet ad miniſteriū eius. Sapientia enim, quæ
 eſt filius dei, cum ſit ſpecioſior ſole, mūdum requirit
 hoſpitiū. Refert Gre. Nazian. quod cum ipſe iuuenis
 ſtuderet Athenis, apparuerunt ei in uiſione duæ pul-
 chra puella, & accedentes propius ruerūt in eius am-
 plexus, ipſe uero utpote caſtus erubuit & admiratus
 non modicum, ait, Quæ nam eſtis uos? Nos, inquiunt,
 ſumus duæ puella tibi admodum familiares & dile-
 ctæ. Ego enim ſum caſtitas, ait una, & ego ſapientia,
 ſubiungit altera: Et uenimus ad te uolentes tecum, o
 caſtiſſime iuuenis, habitare: quia tu nobis in corde &
 corpore tuo ſanctū habitaculum preparaſti. Sapientia
 enim in animas ſanctas ſe transfert, & immundū ha-
 bitaculū deteſtatur. In cuius rei figura legitur in Exo-
 do: Quod Moyses filiſ Israel recepturis legē præcepit
 ut ueſtimēta lauant, & a mulieribus abſtinerent. Cū
 enim teſte Pfalmiſta, lex domini ſit immaculata, &
 eloquia domini caſta, diuina ſapientia immaculatū &
 caſtum

Sapientia 7

Exod. 21.